



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu
Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione
Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ
Luci Datus**

Widl, Adam

Monachij

Præfatio Ad Benevolum Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37233



PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem.

PAUCIS tibi, *Amice Lector*, explico scripti hujus mei Propositum. Ebersperga caelestium favorum & gratiarum in Boica locus est, quò ad D. SEBASTIANUM mortalibus ægris propitium confluere quotannis solent, Vere præsertim viridi, & Aestate, Peregrini plurimi maximo numero, nec minore Religione. Hi piè quandoque curiosi multoties de prima loci origine, de Fundatoribus, & hisce similibus inquirunt, avidèque aliquid de Antiquitatibus Eberspergensibus, de Cultu S. Sebastiani ad hæc usque tempora propagato intelligere cupiunt. Eorum laudabili pietati ut aliqua saltem ratione satisfaceret accedente præsertim Amicorum quorundam non ignobilium seu desiderio, seu imperio, dignum operæ pretium visum est, in tam optabili & sancto argumento calamum arripere,

ripere, qui de vetustis tabulis nostris Antiquitatum illarum compendiarum quandam notitiam, seu lucidam scintillam de obscura filice, extunderet. quod hisce facio, eâ prorsus fide, quâ monumenta nostra primitus conscripta sunt, & per Venerabilis Antiquitatis traditionem vetusto caractere ad nos usque pervenerunt.

Præcesserunt nos hac in parte exempla locorum per Bavariam Religione & peregrinatione celebrium, quorum Fundatores, & res ab illis gestæ, nec non gratiæ cælestis acceptæ beneficio typi in publica luce, & obvijs passim manibus versantur. Merentur idipsum Eberspergæ Fundatores, Semptenses Comites, Regijs Caroli Magni ramis proximè innexi, ut à sera posteritate non ignorentur, quorum munificentiam primitus surrexit Ebersperga. Meretur præ illis D. Sebastianus, Martyrum in Ecclesia DEI nobilissimus, ejus pretiosum Cranium jam à Septingentis annis, & ultra summâ veneratione itidem servat Ebersperga, tanto utique thesauro felix, ac fortunata. Hæc & alia multò plura, *Lector Benevole* præsens libellus te docebit, brevitate, uti spero, commodus, Stylo æqualis.

bilis, & tersus, materiâ ipsâ non injucun-
dus. Latinâ verò is te phrasi hîc & nunc
alloquitur, ut seruiat pluribus, paulò pòst
etiam vulgares Peregrinos, Latij ignaros
fortè allocuturus linguâ patriâ & vernacu-
lâ ubi interpres jam paratus studium suum
in commune contulerit. Tu interim, qui
hæc legis, pro tua humanitate, labo-
ri huic nostro qualicunque
fave, & fruere.



PRO-